

12. Quid de hac Decimatorum obligatione statuatur Synodus Belgica.
13. Edictum Principum ad reparationem vocat ipsos Decimatores.
14. Pro qua parte Decimatores ad reparationem teneantur ex Edicto Principum.
15. Quae decimarum portio in Gallia pro reparatione adjudicari soleat?
16. Portio decimarum in reparationem impendenda intelligitur deducto omni alio onere.
17. Onus reparationis Decimatoribus aut Incolis incumbens soles tantum concernere Ecclesiam Parochialem.
18. Onus reparandi Capellam ordinariè Parochianis aut Decimatoribus non incumbit.
19. Interdum tamen obligantur.
20. Onus reparandi Ecclesiam necessarias reparationes spectat.
21. Forma reparationis arbitrio judicis determinanda; & quae a iudice attendenda?
22. Reparatio institui non potest nisi vocatis quorum inter est, coram quibus & Adum computum reddere debent.
23. Interdum Incola pro reparatione contribuere debent, sed sine auctoritate iudicis secularis hoc cogi non possunt.
24. Populo ad reparationem adscribitur, qui teneantur, & quomodo onus imponendum?
25. Particularis loci consuetudo, & concordatum juri communi & generalibus Patrie regulis in hac materia praesertuntur.
26. Reparatio Navis Incolis, & reparatio Chori Decimatoribus vultis in locis incumbere.
27. Quid Navis nomine veniat?
28. An Decimatores ad reparationem turtis teneantur?
29. Cui Campanarum restauratio incumbat?
30. Decimatores solent teneri ad Ornamentorum subministrationem.
31. Qualia subministranda Ornamenta?
32. Ornamenta pretiosa cur magis Parochialibus quam Monachalibus Ecclesis conveniant?
33. Quis sit iudex competens in materia reparationis Ecclesiarum?

Non tantum jam pridem solliciti fuerunt Patres, ut templa aedificarentur; sed etiam ut aedificata facta tecta conservarentur.

Hunc in finem certam partem proventuum Ecclesiasticorum in reparationem fabricae reservabant.

“De oblationibus vel agris, quos Dominus noster Rex Ecclesis suo munere conferre dignatus est, vel adhuc non habentibus Deo sibi inspirante contulerit, ipsorum agrorum vel Clericorum immunitate concessa, id esse iustissimum definimus, ut in reparationibus Ecclesiarum, alimonis Sacerdotum, & pauperum refectio, vel redemptionibus captivorum, quidquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit expendatur, & Clerici in adiutorium Ecclesiastici operis constringantur.” Ita Synodus Aurelianensis l. Anno 1011. *Can. 5.*

II. Divisio reddituum Ecclesiasticorum in quatuor portiones, quarum una Fabricis Ecclesiarum impendenda erat, adeo stabilita erat seculo sexto, ut ad Augustinum Anglorum Episcopum scribat S. Gregorius; Mos est Apostolicæ Sedis, Ordinatis Episcopis præceptum tradere, ut de omni stipendio, quod accedit, quatuor fieri debeant portiones, una videlicet Episcopo, & familia eius propter hospitalita-

tem, & susceptionem, alia Clero, tertia pauperibus, quarta Ecclesiis reparandis. Apud Gratianum *Cauf. 12. q. 2. Can. 3.* ubi & plures Canonibus hanc divisionem stabiliantes occurrunt.

Hoc autem notandum, quod illa portio, quæ in citato Canone dicitur impendenda Ecclesiis reparandis, eadem sit, quæ in aliis Canonibus dicitur cedere Fabricis: eò quod Fabricæ impendi, nihil aliud sit, quam Fabricæ intertentioni & reparationi impendi.

III. In Hispania olim moris fuisse apparet, ut tertia pars proventuum Fabricis cederet; eaque à restaurandis seu reparandis Ecclesiis ex Episcopi ordinatione impendi debebat ex Canonum præscripto.

Et quidem Concilium Tarracense anno 516. *Can. 8.* ait; “Decernimus, ut antiquæ consuetudinis ordo servetur, & annuis vicibus ab Episcopo Dioceses visitentur, & si qua forte Basilica fuerit reperta destituta, ordinatione ejus reparari præcipiatur: quia tertia pars ex omnibus per antiquam traditionem, ut accipitur ab Episcopis, novimus esse statutum.” *Gratianus Cauf. 10. q. 1. Can. 10.*

Fixum igitur & indubitatum est, aliquam partem proventuum Ecclesiasticorum jam pridem Fabricis Ecclesiarum fuisse destinata; & atque eandem reparationis Ecclesiis ex Episcoporum ordinatione impendendam fuisse.

IV. Quamvis hodie non fiat ea reddituum Ecclesiasticorum divisio in partes, quarum tertia aut quarta cedat Fabricæ; tamen si quæ pro Fabrica specialiter sint deputata, ex antiqua disciplina & hodie in reparationem Ecclesiarum impendenda sunt. Hinc ait Peckius in tractatu suo *De Reparandis Ecclesiis cap. 14.* “Omnes in eo conveniunt Interpretes ad *Cap. 1. de Aedificandis Eccles.* quod cessante consuetudine, statuto, seu dispositione speciali, reparatio Ecclesiarum ex ea portione, quæ à jure ad Fabricam deputata est, fieri debet.”

Unde & Edicto Principum nostrorum super reparatione Ecclesiarum evulgato 2. Octobris 1613. cavetur, quod in primis cessantibus specialibus tractatibus aut conventionibus super reparatione faciendâ inter aliquos initis, proventus Fabricæ impendantur, tam in novam aedificiorum constructionem, quam antiquorum reparationem. Habetur Edictum *lib. 2. Edictorum Flandriae pag. 37.*

V. Quod autem quarta aut tertia pars etiam decimarum olim fabricæ deputaretur, æquum erat, quia, ut rectè post Rebuffum in tractatu *De decimis quest. 2. nu. 4.* monet Peckius *ibid. nu. 2.* decimæ non tantum sunt institutæ pro victu Ministrorum Ecclesiæ, aut propter pauperum & hospitiûm receptionem, aut Sacrificiorum obligationem; sed etiam propter Fabricæ Ecclesiæ constructionem & tuitionem.

Deinde subjicit Peckius; “Et quamvis hodie districtio illa antiqui juris, in omnibus non servetur; illud tamen & jure & consuetudine receptum est, ut hoc onus prædictis redditibus, proventibus & decimis annexum, eum sequatur, qui eorum usum, fructificationem, perceptionem, & commoditatem habet... Utique proventus, redditus & decimæ ejusmodi, cum onere reparationis, ad eum qui percipit & fruitur, transire debent. Quod ex *Can. Parisiis, & Can. Unio. Cauf. 10. q. 3.* satis confirmatur, ubi si Episcopus portiones Parochiarum percipiat, ad Ecclesiæ reparationem obligatur.”

VI. Unde & jam pridem cautum fuit, ut quicumque Ecclesiasticum Beneficium habent, omnino adjuvent ad tecta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas. Ita ex Concilio Moguntino anni 813. Refertur in *Cap. 1. de Ecclesiis aedificandis*; & eodem tempore in quodam Capitalari Caroli

M. cap. 24. confirmatum legitur. Habetur *romo 7. Con. cil. generalium col. 1289.*

Concilium quidem Moguntinum, uti & hoc Capitulare de Clericis aut Beneficiis Ecclesiasticis hic non loquuntur; sed de Laicis qui decimas aliave bona Ecclesiæ jure feudi seu Beneficii tenebant; uti rectè notavit & ostendit Gonzales in notis ad dictum *Cap. 1.* & non obscure innuit totus contextus Canonis Concilii Moguntini, uti refertur in prima Decretalium collectione apud Antonium Augustinum, ubi adduntur hæc verba (à Raymundo Decretalium Gregorii IX. collectore omiffa) *Et nonam & decimam reddant*, quæ non nisi ad Laicos decimas & bona ab Ecclesia jure feudi tenentes referri possunt.

VII. Interim ex hac Decretali concludunt omnes passim Interpretes, habentes Beneficium in Ecclesia, teneri ad ejus reparationem: quæ conclusio, quamvis ex citato Canone Moguntino, prout primitus editus fuit, deducti non possent, nihilo minus aliis Canonibus, & naturaliori ratione consonat.

Canones enim passim ipsos Ecclesiæ Beneficiarios ad reparationem ipsius Ecclesiæ obligatos declarant; rationi iustitiæque consonum judicantes, eos qui redditus ac proventus Ecclesiæ percipiunt, ad earum quoque reparationem teneri.

“De destructis Ecclesiis, ut ab eis, qui eas possident, reaedificentur, & si non sufficiant; à populo adjuventur” ait Synodus Romana sub Eugenio II. *Can. 25.*

Et generaliter Synodus Tullensis *parte 2. cap. 11.* “Ut Ecclesiæ saciantur, vel restaurentur ab iis, qui rebus earum utuntur, aut ab unoquoque tale earum familia præbeat adjutorium, per quod si fieri potest, reaedificentur.”

VIII. His conformis est dispositio Concilii Tridentini *sess. 21. cap. 7. De Reformat.* qua decernitur, Episcopi Ecclesias Parochiales collapsas restaurari procurent, ex fructibus & proventibus quibuscumque ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus: Qui si non fuerint sufficientes (ait) omnes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, ad prædicta cogant.

Edictum quoque Principum nostrorum ante citatum expresse vult, ut contribuatur ad reparationem Ecclesiarum, qui Beneficia in iis Ecclesiis possident; idque, ait, *juxta juris communis dispositionem.*

IX. Jus commune Beneficiatos ad Ecclesiarum reparationem astringit, inspecta ipsa fructuum portione, quam ab Ecclesia percipiunt: “Æquum enim est” (ait Peckius *cap. 20.*) eum qui lucrum tenet, onus quoque sentire.

Ad hæc jus commune ea conditione Beneficiatos ad reparationem Ecclesiæ obligat, si eis *superstet*; quemadmodum respondit Alexander III. in *cap. 4. de Ecclesiis aedificandis*: “De his qui Parochiales Ecclesias habent, duximus respondendum, quod ad reparationem & institutionem Ecclesiarum cogi debent, cum opus fuerit, de bonis, quæ sunt ipsius Ecclesiæ, si eis *superstet*, conferre, ut eorum exemplo ceteri invitentur.”

X. Hinc communiter concluditur, & in praxi servatur, quod Parochi qui nullas decimas habent, sed sola pastoralis competentiæ contenti sunt, ad Ecclesiarum reparationem non teneantur; eo quod nihil eis ex bonis Ecclesiæ superesse credatur: quandoquidem *competentia honestæ Parochi sustentationi commenturata* supponatur.

XI. Sed quia Beneficiati ad reparationem Ecclesiarum vocantur ratione proventuum quos ab Ecclesia percipiunt, hinc Monasteria, Capitula, & alii ad quos decimæ & proventus Ecclesiarum sunt devoluta, quamvis

Beneficia Ecclesiastica verè non habeant in iis Ecclesiis, ad earum tamen reparationem ratione perceptionis dictorum proventuum, vocantur.

Synodus habita circa annum 1279. ab Archiepiscopo Rothomagensi ejusque Suffraganeis apud Pontem Audomari, *cap. 8.* ait: “Statuimus etiam, ut Abbates, Priores, & alia Ecclesiastica personæ, quæ percipiunt majores decimas in Parochialibus Ecclesiis compellantur ad restaurandam Fabricam, libros & ornamenta, pro rata quam percipiunt in eisdem.”

XII. Synodus P. I. Cameracensis titulo *De Decimis cap. 8.* vult, ut “in Ecclesiis, quarum instaurari ac reficere Chorus eorum sumptu debet, qui decimas capiunt, omnes Ecclesiastici qui easdem decimas obtinent, etiam si patroni non sint, ex proportione decimarum, quas recipiunt, pro sua quisque proportione conferat; si ve instaurari tantum eidem chori debeant, si ve de integro aedificari.”

Hoc decretum quoad concurrentiam in reparatione Ecclesiarum omnium generatim decimatorum servatâ proportionem perceptionis renovatum rursus fuit in Synodo P. II. *titulo 24. cap. 12.* additque prædictum Decretum ad omnes infra limites Parochiæ decimas possidentes prout juris est & rationis, extendatur; ubi nimirum integri chori reparatio ad eos qui decimas possident pertinet.

XIII. Similiter Edictum Principum nostrorum vult, ut proventibus Fabricæ; & iis quæ in eum finem per Aedituos in Ecclesiis Rusticis sub Officio Divino colliguntur, aut in gazophilacium ad id in templo positum à Fidelibus concessa sunt, haud sufficientibus, subsidium sumatur ab omnibus decimis in manu mortua existentibus, si ve liberis ad naturam primigeniam reversis si ve adhuc feudali vel alio nexu astrictis, si ve in manu Laicali adhuc existentibus, quæ tamen doceri possunt ab Ecclesia esse profectæ post Concilium magni Lateranense sub Alexandro III. anno 1179. celebratum.

In Gallia quoque Decimatotes ad reparationem & instauracionem Ecclesiarum condemnantur, quemadmodum videri potest apud Brodæum in notis ad Levetium *Litt. R. numer 50.* & novissimè ostendit Michael Du Pertray Advocatus in Parlamento Parisiensi in tractatu *de Portionibus congruis &c. parte 2. cap. 28.*

XIV. Verum sicuti olim non nisi tertia aut quarta proventuum Ecclesiasticorum pars solebat cedere Fabricæ; ita & hodie solet ea moderatio circa decimatotes servari, ut non nisi certam portionem decimarum contribuere teneantur; ne alias, contingat ob Ecclesiarum ruinas, ipsos decimarum possessores subito & inopinatè ad egestatem deduci.

Et quidem sæpius citatum Edictum nostrum, decimas in subsidium accipi vult eà moderacione, ut per annos sex illarum contributioni subjiciatur si ve integræ decimæ duorum annorum in restauracionem Ecclesiæ cedant spatio sex annorum, id est, singulis annis *triens* omnium decimarum: verba Edicti Gallicè ita habent: *Requerant y estre par eux employe le revenne entier de deux années, à payer en six années également, savoir à chacune de six années un tierce du revenu annuel:* id est Requirites ut ad eum finem quolibet sexennio per eos æqualiter impendantur redditus duorum annorum, videlicet tertia annui redditus pars, in singulos sexennii annos ad æquata.

Nequaquam obscurum est, quod *aqualitas*, quam servatam vult Edictum, non sit referenda ad æqualitatem portionum annuarum, quas ex decimis varii Decimatotes habent inter se; sed ad æqualitatem

tatem *trientis* in singulos annos ex decimis in reparationem Ecclesiarum impendendi; hoc est, ut singulis annis habeatur triens omnium decimarum quæ iis annis colliguntur, uti rectè notavit Zypæus in Jure novo *sic. De Ecclesiis adificandis num. 9.*

XV. In Gallia quoque in hac contributione circa decimas solet plerumque ea servari moderatio, ut non nisi tertia pars adjudicetur; quemadmodum in summis Galliarum Prætoris sedulo observari ex Joanne Papone & Guilielmo Benedictho refert Peckius *cap. 14.* & affirmat Joannes Tournetius in sua Arrestorum collectione *lu. R. cap. 14.* ita scilicet iudicatum; ac signanter 18. Decembris 1616. infirmatâ sententiâ, quâ incolis adjudicata fuerat *medietas* decimarum impendenda in reparationem Ecclesiarum.

XVI. Hæc autem decimarum portio intelligi debet deducto omni alio onere uti ibidem Tournetius. Et Zypæus loco citato agens de triente decimarum per Edictum contributioni subiecto, ait *num. 6.* "Defalcanda autem est canonica portio quæ Pastori ex decimis solvitur, similisque onera atque ex residuo tantum *triens* in Ecclesiæ reparationem exigi potest: Proventus enim, bona, & fructus censentur illi, qui deductis oneribus supersunt.

Testatur idem Zypæus Consult. 2. De Ecclesiis adificandis *num. 27.* declarasse aliquando S. Congregationem sub his fructibus reparandæ Ecclesiæ ibi affectis, non comprehendi, quæ Parocho pro victu sunt necessaria.

XVII. Sicuti competentia Pastoralis ex decimis assignanda propriè & primariò tantum concernit Parochum & Parochianum; atque ita in ejus determinatione hoc providendum, ut illud assignentur, quod *Reclitoris ac Parochia necessitati decenter sufficiat*, ut loquitur Synodus Trid. *sess. 24. cap. 13. De Reformat.* ita quoque onus reparationis Decimatoribus injectum, tantum concernit Ecclesiam ipsam *Parochialem*, sive eam in qua *de jure* Parochiani Divinum Officium audire, & Sacramenta suscipere tenentur; quia, ait Wamæus Concilio Canonico *511. numer. 8.* ut decima jure communi pertinet ad Parochum, *Cap. Cum contingat* De decimis: ita soli Parochiali Ecclesiæ deferre debet, non capellis, veluti inde deductis colonis.

XVIII. Similiter Peckius in citato tractatu *cap. 24.* inquitens, qui teneantur ad reparationem Capellæ, rectè advertit quod Rustici ad quorum commoditatem Capella fundata est, se queant ab onere eam reparandi eximere, si velint usu illius carere, & ad Ecclesiam Parochialem potius accedere, quàm Capellæ reparandæ impensas ferre. "Licet enim Parochiani, ut Ecclesiæ Parochialis refectionem evitent, illi renuntiare, & in Parochia nihilominus manere non possunt, in Capella tamen alio jure utendum videtur: quia Parochiani ab ea recedentes, ad matrem suam redeunt, primævum suum statum, vel veterem conditionem reassumunt, nullique planè in suo jure præjudicant, aut detrimentum adferunt.

Posthæc subjungit, "Quòd si nec Parochiani, nec Patroni Capellam reparare velint, aut ob paupertatem nequeant, eam juxta Decretum Concilii Tridentini *sess. 21. cap. De Reformat.* transferendam esse," evidenter declarans Decimatores nullatenus ad earum reparationem teneri.

XIX. Adit deinde hanc cautionem: "At si ejusmodi Capella ex justa causa Superiorem movente erecta & constructa sit, forè ut periculum animarum quod evenire posset, Ecclesia Parochiali nimitum distante, evitetur, eo casu non puto renuntiationem Parochianorum quidquam operari, sed è contra non obstantè illâ, ipsos pro præterito tempore antequam

, inde recedere velint, si facultates ipsi sufficient, contribuere debere.

Imò non dubium, quod nonnumquam ipsi Decimatores ad reparationem hujusmodi Capellæ essent pro parte saltem aliqua vocandi. Si enim Decimatores non tantum ad sustentationem Parochi; sed & aliorum Sacerdotum, qui pro administrandis Sacramentis & instructione populi sunt necessarij, debeant ex decimis contribuere: (ut infra titulo De portione congrua ostenditur) quidni urgeri possint ad institutionem non tantum Ecclesiæ Parochialis, sed etiam Capellæ, ob distantiam à Parochiali Ecclesia, populo necessariâ? Præsertim cum decimæ totius Parochiæ jure communi censentur ad Ecclesiam Parochialem pertinere; idèdque juxta *Cap. 3. De Ecclesiis adificandis*, nova Ecclesia seu Capella ex his decimis eo titulo videatur adificanda & restauranda.

XX. Ulterius restauratio à Decimatoribus aliisque quibus incumbit ita exigenda, ut necessitati, & honestati populi commoditati Ecclesia sufficere possit: at ea quæ ornatum potius quàm necessitatem & honestam commoditatem spectat, requiri non potest. Unde Zypæus in Jure Novo titulo *De Ecclesiis adificandis* monet, Edictum Principum nostrorum, ad *necessarias* templi, id est substantialium partium, tecti, parietum, chori, vel navis, ut loquitur, &c. reparationes restringendum esse, non verò ad ornatum interiore ex-tendendum: ut aliquid materiæ relinquatur devotioni aliorum.

XXI. Verùm uti in determinanda Parochorum competentia non avara manu procedendum; atque ipsius Parochiæ amplitudo, nec non decimarum quantitas aliæque consideranda; ita quoque in reparandis Ecclesiis justum ac æquum esse censet Peckius *cap. 1.* "si expensis ac ponderatis Ecclesiarum qualitatibus, fructibus, emolumentis & conditionibus, ad boni æquique judicis arbitrium hoc totum referatur... Et cum (ait) aliquando in supremis Galliarum Prætoris, quæ vulgus Parliamentum appellat, similis quæstio de reparatione Ecclesiarum incidisset, præcedente cognitione, missisque, qui Ecclesias visitarent, & censuratis, ita res temperata & tractata fuit, ut pro ratione proventuum & circumstantiarum, ea resectio publico Senatûs Decreto decerneretur, teste Joanne Papone in Libro De Arrestis Gallicis *lib. 1. tit. 1.* "Hæc Peckius.

XXII. Ut in hac reparatione non nimitum graventur Decimatores, aliique quibus onus reparandi incumbit; & omnia minore, quo potest, sumptu fiant, statuit Principum nostrorum sæpius citatum Edictum, "quod nihil poterunt statuere Aediles sine iis quorum interest: quodque sine eorum consensu vetus forma non mutabitur; sed inibitur ratio magis conveniens, vocatis in concilium peritis, & minus sumptuosa. Edent etiam Aediles computus suos iis, qui percipient decimas, ut videant an bene administrantur, & quantum desideretur.

XXIII. Ubi autem hætenus assignata ad reparationem Ecclesiæ non sufficient, vult Synodus Tridentina citato *cap. 7.* "ut in illorum defectum Parochianos omnibus remedijs opportunis ad prædictâ Episcopi cogant; quæcumque appellatione, exemptione, & contradictione remota.

Verùm dum de promulgatione Concilii Tridentini hic in Belgio tractaretur, ad hunc articulum notatum fuit à Concilio Regiis, "populum ad contributiones pro adificandis Ecclesijs, sine auctoritate Judicis secularis infringi non posse.

Hinc in edicto Principum nostrorum dicitur: "ubi hæc non sufficient, ex indulto Principali trantibi-

tur ad collectam & capitulationem eorum, qui in Ecclesijs alimenta spiritualia recipiunt.

XXIV. Porro edictum satis insinuat, eo casu collectam illam instituendam inter eos, qui revera sunt Parochiani istius Ecclesiæ; sive qui in ea Ecclesia alimenta spiritualia recipiunt; quod & juri Communi & justitiæ consonum esse ostendit Peckius *cap. 10.* unâ ostendens: quod hæc collecta personis ibidem habitantibus, Ecclesiâ utentibus, & Sacramenta sua ibidem accipientibus, pro modo & ratione rerum suarum imponenda sit. Dein *cap. 11.* ex hoc fundamento infert, quod Forensibus ratione bonorum quæ in locis possident, collecta pro reparatione Ecclesiæ imponi nequeat; quia (ait) hoc onus non est otus merè reale, sed mixtum; & imponitur personis principaliter, licet fiat taxatio respectu rerum.

Eodem fundamento passim ubique receptum est, ut ubi alii sunt termini Parochiarum quoad jurisdictionem Ecclesiasticam, & alii quoad jurisdictionem civilem, pro reparatione Ecclesiarum collectentur omnes qui sunt intra terminos Parochiarum quoad jurisdictionem Ecclesiasticam; id est, qui subsunt quoad spiritualia istis Ecclesijs Parochialibus; licet in civilibus jurisdictioni alterius Parochiæ sint subiecti; uti refert Zypæus *Consul. 1. De Magistris.*

XXV. Hætenus dicta ferè procedunt, ubi consuetudo, aut particularis contractus, vel concordatum aliam in faciendâ reparatione legem non dedit; hæc enim si probari queat, servanda erit; eâ verò cessante, demum ad Jus commune, vel generales Patriæ leges recurrendum.

XXVI. Et quidem teste Zypæo, in reparandis Ecclesijs ferè passim consuetudo ad populum *navis* reparationem transtulit; testaturque, ita judicasse Concilium Brabantie pro Capitulo Antverpiensi contra Incolas De Conteca anno 1602. additque: "Et ita habet generalis consuetudo locorum quæ nunc & olim sub Diœcesi Cameracensi fuerunt.

Similiter in Gallia usu receptum, & arrestorum auctoritate sæpius confirmatum est, Parochianos teneri ad reparationem *navis*, Decimatores verò ad reparationem Chori. Uti videri potest apud Julianum Broudeum in notis ad Louetium *Litt. R. num. 50.* qui & rationem subjicit, quia *Chorus* Ecclesiæ est propriè locus Cleri; *navis* verò laicorum; quibus multis seculis ingredi Chorum illicitum fuit. Recentiora Parliamentorum arresta eandem distinctionem inter onus reparandi *navim* Ecclesiæ, & ejusdem Chororum confirmantia recitat Michaël Du Perray in citato tractatu *De portione congrua cap. 28.*

XXVII. Navim Ecclesiæ esse, ait Peckius *c. 13. n. 3.* eam corporis Ecclesiæ partem, quæ extra cancellum est, & in qua Parochiani sedent,

Monet tamen ibidem: "Non totam quidem illam partem, *navem* Ecclesiæ appellamus, quæ extra cancellos est, sed eam tantum, quæ in medio templi, columnis, parietibus, fenestris & tecto constat ac sustinetur: sic ut appellatione *navis*, appendices & capellæ Ecclesiarum, in quibus malo & improbate exemplo plerique ambulare solent, non contineantur, etiam si uno eodemque tempore ac opere *navis* Ecclesiæ adjungantur, ipsæque navis sine his non aliter, quàm avis sine alis consistere queat. Id quod nuper, ex informatione, quam in causa super ea re controversa accepi, & in qua deinde sententiam dictavi, consuetudine & antiquâ interpretatione receptum esse plenissimè cognovi.

Hæc ille occasione recordiarum sive Concordatorum Leodienisium, quorum ibi meminit; asseritque vi illorum subinde ipsius *navis* reparationem rejici ad illum, qui decimas percipit. Unde etiam Zypæus post-

quam dicit, Parochianos in Diœcesi Cameracensi ex consuetudine recepta teneri ad reparationem *navis* Ecclesiæ, addit: *Quamvis recordia Leodiensis rigorosis cum decimis agat.*

Hoc casu *navis* secundum descriptionem Peckii merito accipienda est. Cum enim laterales Capellæ & appendices magis ad ornatum, quàm necessitatem spectare soleant; æquum non est, earum ædificatione aut reparatione Decimatores gravare; sed si eas ad suam commoditatem, aut majorem suæ Ecclesiæ ornatum desiderent Parochiani, eorum pietati hoc relinquendum.

XXVIII. Eadem forsitan ratione hic receptum est, Decimatores non teneri ad extructionem aut restaurationem *turris* & ad ejus reparationem (ait Zypæus) neque ante neque post Edictum scio aliquem Decimatorem condemnatum. Turris enim, præcipuè elatior, magis ad ornatum, quàm ad necessitatem est.

XXIX. Sed quid de *campanis*? Ecclesiam Parochialem posse plures habere campanas, optasseque S. Carolum, ut in in omnibus Ecclesijs Parochialibus haberentur ad minus duæ, notavimus supra *sic. 5. cap. 2. num. 13.* tamen quia usus præcipuus campanæ est, ut per ejus pulsum ad divina officia populus vocetur, consuetudine passim receptum est, quod Decimatores ad unius tantum campanæ restaurationem teneantur, & ad eam necessariam trabium. Testatur quoque Peckius *c. 13.* quod concordata seu recordia Leodienfes, Prælatum cui onus reparationis incumbit, ad *unius* tantum campanæ, quam *Bannalem* vulgò appellant, intentionem adstringant: eamque (ait) ejusmodi esse volunt Interpretes, ut facile in eo loco exaudiri queat.

XXX. Ratio, quæ multis locis Decimatores obligat ad restaurationem Chori, eadem quoque induxisse videtur, ut passim constringantur Decimatores suppeditare necessaria ornamenta pro celebratione Divini Officii, quemadmodum advertit Broudeau loco citato, ibidem plurima in hanc rem Arresta Parliamentorum proferens.

Et sanè jam pridem in Synodo Metensi anno 888. *can. 2.* statutum fuit, ut "qui decimas percipit, eas accipiat, in sui sustentationem, & ad luminaria concinnanda, & Basilicæ adificia, vestimenta quoque Sacerdotalia, & cætera utensilia suo ministerio congrua obtinenda.

XXXI. Advertit Peckius *cap. 13.* quod in recordijs Leodienfisibus ornamentorum intertentio & subministratio Decimatoribus quoque injungatur: & tametsi *casula*, *calcis*, & *vestimenti*, in numero *singulari* fiat mentio, plerique nihilominus arbitrati sunt, quod locutio illa *singularis* etiam pluralitatem in eodem genere in se contineat, si pluribus Ecclesia indigeat.

Deinde *num. 6.* ait: Quod si inter eos qui Ecclesiæ præsent, & eum ad quem onus reparationis pertinet, de modo & qualitate istiusmodi vestium & ornamentorum quæstio exurgat, utique ratio habenda est qualitarum Ecclesiæ, & ipsius facultatum, ut secundum quod abundat facultatibus, sic meliora & pretiosiora habeat ornamenta.

Cum ergo ex varietate Ecclesiarum sint determinanda, meritò ibidem probat sententiam ejusdem Guillelmi, qui hoc totum arbitrio Judicis relinquens, & voluptuarias impensas excludit.

XXXII. Caterum optandum esset, ut Abbates & Monasteria decimas possidentia; eoque titulo ad reparationem Ecclesiarum & suppeditationem ornamentorum obligata, & quorum Ecclesiæ claustrales sæpe argento & auro fulgent & interim Ecclesijs Parochialibus vix de ornamentis ad peragendum honestè Divinum Officium provident, attenderent illud S. Bernardi in Apologia ad Guillelmum Abbatem *capit. 11.* "Dicite pauperes